



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica XVI. Post Pentecosten.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

CONCIONATORIUS. 157

pus habes , rumpe vincula ; dum DEUS tibi
aurem & mentem vellicat , ad emendationem
festina. Considera vitii , in quo defixus haeres,
malitiam ; luxuria enim DEO & Sanctis om-
nibus damnabile , Angelis execrabile , homini
ipsi pudendum & erubescendum vitium est.
Mense V. Disc. 130. pag. 148.

5.

*Ecce defunctus efferebatur filius unicus ma-
tris suæ. Luc. 7.*

Et hic quidem placida morte defunctus ef-
ferebatur , maximo tamen luctu matris orbæ.
Quantus dolor integræ cujusdam familiæ erit ,
dum ex ea quispiam non in acie , sed rixa oc-
ciditur ! Et tamen insanus quorumdam ad ri-
xas & duella pruritus. Videamus , quibus
mediis perniciosus iste pruritus curari ac repre-
mi debeat. *Mense VI. Disc. 173. pag. 354.*

DOMINICA XVI.

POST PENTECOSTEN.

1.

*Et ecce , homo quidam hydropicus erat ante
illum. Luc. 14.*

Difficillima & lentissima est hydropsis cura-
tio : requiritur accurata multarum rerum ab-
stinentia : jam depulsus facile revertitur , &
difficilius iterum effugatur. Sic habet se pra-
va



va consuetudo: superari non potest, nisi magno labore ac difficultate. *Mense I. Disc. 24.* à num. 7. ad finem.

2.

Si licet Sabbato curare? Luc. 14.

Non difficulter Christus, tacentibus Phariseis, quæstionem hanc resolvit ipse, ut & facto & argumentis ipsius resolutam impugnare nemo auderet; agebatur enim de Sabbatho unius diei, & de sanitate corporis. Multo minus dubium est de animæ salute in Sabbatho procuranda, nempe in quocunque tempore, quod temporalibus curis exemptum tribuere animæ possumus. Verum instat nobis aliud Sabbathum, senectutis nimirum ad laborem infirmitas, vel à negotiis animæ tractandis vitijs remissio: ad istud Sabbathum ne differamus conversionem, & ne unquam tale nobis Sabbathum indulgeamus, monet Salvator: *Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme vel Sabbatho. Matth. 24.* Imminet enim nobis aliud Sabbathum, nempe Æternitas, quæ si nos occupet otiosos, vñ nobis. Consideremus ergo Æternitatem, ut bene nos ad illam præparemus. *Mense III. Disc. 63. pag. 34. usque ad num. 7.*

3.

Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.

Sua-

CONCIONATORIUS. 159

Suapte naturâ homo ad honorem aspirat; neque semper damnandus est appetitus iste, modo ad veram aspiret dignitatem, neque falso honoris nomine se decipiatur. Facilè fallimur, maximè in re, quæ naturæ nostræ blanditur. Agnoscamus igitur, quid sit superbia: videamus ejus proprietates, genera, & operationes. *Mense V. Disc. 146. pag. 508.*

4.

Qui se exaltat, humiliabitur. Luc. 14.

Nihil turpius est fure deprehenso: talis maximè aliorum ludibrio exponitur ac ridetur: & apud se summam confusionem patitur ac dolorem. Sic verò humiliari solet superbus; nam fur est, & quidem infelix fur, quem in furto suo deprehensum, dum honori non debito inhiat, propria exspectat confusio. *Mense V. Disc. 148. pag. 546.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

I.

Tentans eum. Matth. 22.

Quod Pharisei in CHRISTO fecerunt, variis quæstionibus eum tentantes & capere in sermone cupientes, id facit dæmon
in

